



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

**Parisiis, 1644**

Titvli Canonvm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15072**

malefica, aut expiandi causa, sub regula quinquennii iaceant, secundum gradus pœnitentiæ definitos.

## XXIV.

Quidam sponsam habens, sororem eius violavit, & gravidam reddidit; postmodum desponsatam sibi duxit uxorem: illa vero quæ corrupta est, laqueo se peremit. Hi qui fuerunt conscii, post decennem satisfactionem iussi sunt suscipi, secundum gradus pœnitentiæ constitutos.

C A N O N E S  
C O N C I L I I A N C Y R A N I,

Ex interpretatione Isidori Mercatoris.

TITVLI CANONVM.

- |  |  |
|--|--|
| I. De presbyteris lapsis in persecutione.  | XII. De his qui ante baptismum sacrificauerunt idolis.   |
| II. De diaconibus qui immolauerunt.  | XIII. De Chorepiscopis, & eorum potestate & auctoritate.   |
| III. De clericis siue laicis, quorum manus alii cum iniuria super idolorum sacrificia posuerunt. | XIV. De presbyteris a carnibus se abstinentibus.   |
| IV. De his qui in templis idolorum cœnauerunt.   | XV. Non debere presbyteros Ecclesiastica iura vendere: vel de rebus Ecclesiasticis eo tempore distractis, quo ipsa Ecclesia viuuantur Episcopis. |
| V. De his qui timore ritus gentilium peregerunt.   | XVI. De his qui irrationabiliter vixerint, aut qui cum pecudibus versantur.  |
| VI. De his qui in locis idolorum manducauerunt.  | XVII. De his qui alios ad antedicta peccata induxerint.  |
| VII. De his qui frequenter idolis immolauerunt.  | XVIII. De Episcopis qui ordinati non suscipiuntur, vel qui ad Episcopatum promoti sunt, nec recepti.   |
| VIII. De his qui coacti vi idolis immolauerunt.  | XIX. De his qui virginitatem profitentur, & qua sub sororis habitu cum aliquibus commorantur.  |
| IX. De his qui aliis sacrificandi causam attulerunt.   |  |
| X. De diaconibus protestantibus, cum ordinantur, &c.   |  |
| XI. De desponsatis puellis, & ab aliis corruptis.  |  |



XX. De adulteris &amp; eorum pœnitentia, siue vir sit, an mulier.

XXI. De mulieribus quæ fornicatæ, partus suos necant.

XXII. De his qui volentes homicidium fecerunt.

XXIII. De his qui more gentium viuunt.

XXIV. De eo qui sororem sponsæ suæ vitauit, vel virginum corruptionibus conscii sunt.

## C A N O N E S.

## I.

**P**RESBYTEROS qui immolauerunt, & postea certamen iterum inierunt, si hoc ipsum ex fide, & non aliquo argumento sibimet præparantes, egerunt, vt iterum teneri viderentur, aut tormentis subiici putarentur, tamquam inuiti: si ex fide ergo luctati sunt, & non ex compacto, ad ostentationem, vt caperentur, ipsi fecerunt: hos placuit honorem quidem sedis propriæ retinere: offerre autem illis, & sermonem ad populum facere, aut aliquibus sacerdotalibus officiis fungi, non liceat.

## II.

Diaconos similiter qui immolauerunt, postea autem iterum reluctati sunt, illum quidem honorem habere oportet: cessare vero debent ab omni sacro ministerio, ita vt nec panem, nec calicem offerant, nec pronuntient: nisi forte aliqui Episcoporum conscii sint laboris eorum, & humilitatis, & mansuetudinis, & voluerint eis aliquid amplius tribuere, vel adimere. Penes ipsos ergo de his erit potestas.

## III.

Qui fugientes timore persecutionis comprehensi sunt, vel a familiaribus, seu a domesticis traditi, vel bona propria amiserunt, vel sustinuerunt